CORNVCOPIÆ LAVREATVM.

Varijs Autumnalium Fructuum Donis,

EX

VIRTVTE, ET DOCTRINA,

V.V. DD. VI. PRIMÆ LAVREÆ CANDIDATORVM

COLLECTIS, REFERTVM;

ET IISDEM.

DVM PER

Excellentißimum & Admodum Reuerendum Dominum

M. VALENTINVM STALICKI

Philosophiæ Doct: & Profess: Collegam Minorem,

Præpositum S. ADALBERTI.

Primâ in Artibus, & Philosophia Laureâ,

In amplissimo Nobilissimorum hospitum consessu,

PVBLICE INSIGNIRENTVR.

A

DOMINICO CYRVS,

eiusdem Laureæ Candidato, amoris & gratulationis ergò

PRÆSENTATVM.

Anno Salutis Humanæ 1668. Die 13. Octob. Horâ

CRACOVIÆ, *Apud Stanislaum Piotrkowczyk S. R. M. Typog.*

IN STEMMA
Regni Poloniæ Metropolis,
VRBIS CRACOVIENSIS.



Cracia Sarmatici Sedes primaria Regni,
Muſarumq́; domus, deliciumq́; Togæ;
Turribus inſignita micat, portaq́; patenti,
Reginæq́; auium nobile pignus habet.
Inuictam reddunt hæc omnia. Sed magis ipſa
Inuicta eſt claris, Marte Togaq́; Viris;
His munita viget, faſces ſeruatq́; Polonos;
Nominis, & famæ, ſumma corona ſuæ.

Nobilibus, Clarissimis, Spectabilibus, & Amplissimis Viris Dominis, D. PROCONSVLI

ANDREÆ KORTYN,

CONSVLIBVSQVE CRACOVIENSIBVS.

D. M. GABRIELI OCHOCKI, Medic: Doctori & Professori, Seniori Consuli Cracouiensi.
D. STANISLAO SZPINEK, I.V.D.
D. FRANCISCO CYRVS, Parenti Dilectissimo.
D. M. FRANCISCO ROLINSKI, Medic: Doct: & Professori.
D. PAVLO FRYZNEKER.
D. CHRISTOPHORO KRAVZ.
D. GERHARDO PRYAMI.
D. M. HYACINTHO ŁOPACKI, Medic: Doct: & Profess:
D. MARTINO LOCHMAN.
D. ALBERTO SLESZKOWSKI, Medic: Doctori.
D. IOANNI ROZYC.
D. ALBERTO SZTAMETH.
D. FRANCISCO LVPI.
D. VALENTINO SZMIDT.
D. PETRO ANTONIO PESTALOCI.
D, ANDREÆ BELLI.
D. STANISLAO KŁOSOWIC.
D. NICOLAO KROLIK.
D. JOANNI PERNVS.
D. M. JACOBO REYNEKIER, Medic: Doctori.
D. BONAVENTVRÆ BRYGANTI.
D. IOANNI ROMANOWICZ.
D. NICOLAO FABRYS.

Dominis & Patronis fauentiſsimis.

VIx in florentiſſimos, Platonicisq́ immarceſcibiles annis Parnaſi Iagelonici hortos, ex priuato tenerioris ſtudij domicilio commigraui; en ecce mox Laureatæ Sapientiæ Præſides, ex huius amæniſſimi viridarij florigera Lauru vireſcentibus folijs decerptis, meã, meorumq́ iſti peramæno vireto ſua conſecrantium nomina commilitonum, redimiunt tempora. Nobiles, Clariſſimi, Spectabiles, & Ampliſſimi Viri. Quo quidem in honoris acceſſu indecorum putaui ad applauſus congratulatorios effuſum continere animũ; quinimò officioſi affectus teſſeram vt publicè conteſtarer ad vnam tendentibus metam commilitonibus, Laureati honoris congratulari volui dignitatem. Nullis verò abundans fecundi ingenij floribus, non iam vernas amæniſſimi temporis delicias, at fructus maturos, hocce autumnali tempore ex Cornucopiæ Laureato decerptos, curaui dedicandos. Licebit & Vobis Viri Ampliſſimi de hoc locupletiſſimo Cornucopiæ matureſcentium fructuum promptuario delibare, qui placebit fructus. licebit & per florentiſſimos horum autumnalium fructuum ſpatiari campos; vbi Veſtri curis, vigilijsq́ laſſati animi, reficientur. vbi mentes diuexatæ continuis de ſalute Reipublicæ Veſtræ periculis recreabuntur. Quo verò in loco hæc autumnalis benignitatis vbertas cõmodiùs collocari poterat, quàm inter celſiſſimum iſtius Vrbium Metropolis Inſigne? ad quam non obuijs quibuſque pandetur oſtium, ſed emeritis licebit maturos decerpere fructus. Quo in loco tutius ſita permanere valebit quàm ſub Veſtrorum Viri Ampliſſimi meritorum antemurali? quæ quidem tanta ſunt, vt ijs non mea ſanè ſterilis adhuc, & imbellis facundia, ſed ſapientiſſimi cuiusq́, & eloquentiſſimi, pectoris, orisq́ gratia, & eruditiſſimi calami vix ſufficeret amplitudo. Hoc idem Veſtra, Veſtrorumque Anteceſſorum digniſſimorum præclare facta loqui videntur. Atque adeò illa Sereniſſimis Regibus, Principibusq́ ſeruata fidelitas, Patriæ amor, Iuſtitiæ cultus, D E I Præpotentis honor inceſſabilis, in Cauſis decernendis maturum iudicium, in peragendis omnibus negotijs prudentia, in perficiendis ſedulitas; quæ omnia cùm luce clariùs meridianâ vniuerſis pateant, ſi recenſere vellem,

lem, Soli lumen addere viderer. quæ inquam vniuersa Vestra *præclarefacta apud Serenissimos Reges, Principesq́; Poloniæ, apud totam Rempublicam effecerunt, vt iure Nobilitatis donati, de quibusuis Nobilium prærogatiuis participetis. Sed ego iam redeo ab his* Vestris *præclare factis, ad meum Cornucopiæ Laureatum, quod vt iam Insigni* Vestro *celsissimo cinctum ornatumque,* Vobis Viri Amplissimi *dedicaui, ita nunc iteratis vicibus, hoc idem in Patrocinantis fauoris* Vestri *benigno sinu colloco; precorq́; vt lætiori vultu, hoc obseruantiæ ergò à me collatum* Vobis *exigui laboris monumentum accipiatis, & me ipsum, quem in seruitia* Vestra *totum dedico, optoq́; vt Nestoreos annos adimpleatis, hocq́; Regimen Ciuitatis felicissimè gubernetis; Patrocinio* Vestro *complecti velitis.*

Vestrarum Nobilium, Clarissimarum, Spectabilium, & Amplissimarum Dominationum,

Cliens & Seruus obseruantissimus,

DOMINICVS CYRVS
Primæ Laureæ Candidatus.

MAGNO
FRUCTUUM ACADEMICORUM
PATRONO.
D. IOANNI CANTIO,
Debiti Primitiæ cultûs.

VBeres tandem peperere fructus,
Palladis doctæ, meriti labores,
Tot per anfractus studij, tot inter
Ardua rerum.
Carpimus læti, peramæna nostri
Dona sudoris; vigilesq; curæ,
Dulcè iam nobis sapiunt, togatos
Inter honores.
Est suus doctis labor, est fatemur;
Tetricæ noctes veniunt, diesq;
Grandibus curis propè consepulti,
Tædia miscent.
Est suus doctis honor, est necesse;
Aureæ rursus veniunt dierum,
Noctiumq; horæ, referuntq; pleno
Gaudia fructu.
Sic per alternas Peripatus omnis
Se vices tollit; meritisq; rursus

Dona

Dona succedunt, pariuntq; doctam
Ardua Laurum.
Sed quis autumno decus hoc togato
Copiam fructûs tulit eruditi?
Quis coronatam iubet ire pulchro,
Flore iuuentam?
Non ne tu Præses bone literarum?
Fructuum Phæbi Lechici Patrone;
Ipse Doctorum, studijq; nostri
Maxime fructus;
Diue, quem ternis prope ducta seclîs,
Fama Lecheo veneratur Orbe;
Quem Togatorum sequitur beato
Copia cornu.
Quidquid Augusta Iagelonis æde
Cernimus pulchrum, sapidumq; quidquid;
Omne debetur tibi, literati
Nomine censûs.
Inde quod nostris adoleuit hortis;
Quodq; seruauit tua dextra nobis;
O Pater? fas est tibi destinato,
Reddere cultu.
Hoc ferunt nostræ pia vota Musæ;
Quod serenato patiarê vultu;
Vtq; maturi Tibi simus olim,
Fac age fructus.

Clarissi-

Clarissimis & Excell: DD. Examinatoribus.

M. NICOLAO BROSCIO,
Philosophiæ Doctori, & Professori, Collegæ Maiori,
Astrologiæ & Geometriæ Ordinario Professori,
Philosophicæ Facultatis Decano.

M. FRANCISCO PRZEWOSKI,
Collegæ Maiori, Regio, Linguæq; Hæbraicæ
Ordinario Professori.

M. VALENTINO STALICKI,
Collegæ Minori, Præposito S. Adalberti.
PROMOTORI Dignissimo,

CORNVCOPIÆ GRATITVDINIS.

VIctura Cælo nomina Lechico,
Dulcis Togatæ Ternio Laureæ,
Tributa quæ te gratiarum,
Quosue decet retulisse fructus?
Curas edaces inter, & ardui
Onus laboris? quo Iagelonicæ
Momenta sustentas Cathedræ,
Sarmaticis renouasq; terris,
Vetusta doctæ Symbola gloriæ;
Suusq; priscis constet vt artibus
Honos, fatigari docendo
Non renuis, vigiliq; cura.
Nam quod tenello flore scientiæ
Adhuc virentes, dulcis adoreæ
Fructu coronamur beato;
Quodq; licet sapidos honorum
Libare gustus; vestra fidelium
Dos est laborum, summaq; gratia

Cordis

Cordis paterni; quod togatas
Nos voluit meruisse Laurus.
Hoc egit illud pectus amabile,
Tuæque virtus culta scientiæ
BROSCI, cathedrarum Stagyræ
Præses, & Vraniæ voluptas.
Mathesis in te floret, & inclytum
Nomen Polonis ferre trionibus
Te iussit, & augusto patrum
Te locat in numero Senatûs.
Iubar Sophorum nobile, tu quoque
Et disputantum gloria, nos pari
Fructu beasti Laurearum,
Vir animi niuei PRZEWOSKI.
Constansque veri fautor, & arduis
Perfuncte curis. nouimus & tuæ
Virtutis exemplar STALICKI,
Atque animi decus eruditum;
Suadamque rostris flexanimam sacris
Latè sonantem. sic bona pectora
Nos laude profecisse vestra,
Laurigeros decuitque fructus,
Vestris paratos ferre laboribus;
Queîs æuiternæ munera gratiæ
Debemus, & Cœlo dicamus
Vota pijs geminata votis.

II. V.D. FRANCISCO KOSZEMBOR,
Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri Domini Hierosolimitani Professo.

Ex Cornucopiæ Laureato, offertur.

RVBEVS TEREBINTHI SYRIÆ FRVCTVS. Cum Lemm.
Virtutis Color hic.

B *Immor-*

IMmortale decus purpureæ Crucis,
Cùm Te Miechouijs ornet honoribus,
Tanquam prisca sacri tessera militis,
Christi sanguine perpluens.
Inter Laurigeræ munera copiæ,
Donat purpureis quàm benè fructibus
Te Phœbus, placidæ conscius indolis,
Virtutique fauens Tuæ.
Sic Te sanguinei pignoris admonet
Quod fers Stemma pium; sic roseus Tuæ
Adiunxisse pudor, flosq; modestiæ,
Te sacris voluit choris.
O quàm dulcè sapit, quod Terebinthis
De fructu Syriæ sic rubet! Ordini
Concordatq; Tuo, quodq; virentibus
Phœbus cingit adoreis.
Felix omen habe; cùm Tibi credita,
Gaudet puniceis Laurea fructibus;
Hic est quippè, Tuam qui decet indolem,
Virtutis color optimus.

III. V. D. THOMÆ MOGILNICKI,

AVREVM MALI CYDONII DECVS. Cum Lemm:
Aurea Suada Tibi.

AVreos offert Tibi Musa fructus,
Dum coronaris viridante Lauru;
Dos Tibi quod sit, generosioris
Aurea mentis.
Fulget obryzo bona mens in auro,
Omne gazarum pretiumque vincit;
Digna honorari, meliore digna
Viuere censu:
Cuî amor recti, placidique mores,
Spontè cuî virtus placet; eruditas
Cuî sequi curas, studioque pasci
Cara voluptas.

Talis

Talis ad Laurus tua mens togatas
Est MOGILNICKI; roseique nectar
Dulce sermonis, quod ab eloquenti
Flumine manat.
Aureis ergo redimita donis,
Serta te cingant; quibus hoc mereris;
Semper vt rostris, tua regnet olim
Aurea suada.

IV. V. D. NICOLAO CZECHOWICZ, CRAC:

Saluberrimus pacatæ Oleæ fructus. Cum Lemm:
Pacis amica.

PAcis Oliua decus, tibi se pulcherrima pandit;
Inq; tuas properat, fertilis arbor opes.
Excipe gratanti vultu, suauissima pacis
Munera, Palladiis semper amica viris.
Diligit hos Pallas; quos colligit optima fructus;
Prima Oleam seuit, scilicet illa sacram.
Hæc tibi pacatæ cedunt insignia mentis;
Naturæ bonitas, quæ tibi culta dedit.
Scilicet hanc Craciæ debes natalibus Vrbis;
Quæ Regum sedes est; studijq; Parens.
Hoc ex fonte tibi, virtus, laudesque togatæ;
Hinc oris venit, suada diserta tui.
Ingenium docile, & dilecta modestia cunctis,
Et roseus, gratâ cum pietate pudor.
Omnia sed Laurus tantò conspectiùs in te
Condecorat, niueâ quæ tibi fronte viret.
Hanc tibi pacatæ fructus circumdat Oliuæ
CZECHOWICZ; quam tu, pacis amicus ama:
Tranquilloque animo doctam sectare Palæstram,
Sic, viues placidos; lætus in orbe dies.

V. V.D. ANDREÆ MOSKIEWIC LEOPOL:

Sapidiſsimus Palmæ victricis fructus. Cum Lemm:
Tandem victoria dulcis.

NAtam triumphis, cùm ferimus tibi,
Victorioſi nominis arborem;
Inuictus hoc in te probauit,
Roxolani genius Leonis.
Debentur illi Martia Lechicæ
Trophæa Palmæ; quæ tulit hoſtibus
Vrbs victa nunquam, barbariſque
Hactenus intemerata dextris.
Virtutis in te nec minor indoles,
Et digna tantæ nomine Patriæ;
Quam ritè MOSKIEWI decoris
Laudibus, ingeniique cultu,
In te coronas. victor in aureæ
Lepore Suadæ; victor Olympicis
Vates Corymbis, & canendi
Threijciâ memorandus arte.
Palmæ tuliſti Martia ſymbola,
Fructusque dulces. fac age grandibus
Auſis labora; vt literarum
Palma tibi numeroſa ſurgat.

VI. V.D. ANTONIO FRANCISCO SŁAWEK.

LAVREATI PHÆBEÆ ARBORIS FRVCTVS. Cum Lemm.
Phæbo digniſsima Laurus.

Te di-

TE dilectus Apollini
Fructus condecorat, conſcia numinis
Arbor Delphica quem tulit,
Et qui Phæbigenum diligitur choro.
SŁAWEK dotibus ingenî
Vernans eximijs, clarus & Attici
Oris Nectare melleo;
Quem facunda tibi ſuada Demoſthenis,
Et Tullî decus aureum,
Dignè conciliat, roſtra per ardua.
Lauri perpetuus viror,
Phæbi delicium, te decuit proin;
Vt Muſis caput inclytum,
Circumdet ſolidæ flos ſapientiæ;
Vt vernet tibi pulchrius
Doctæ frontis ebur, dignaq́, laureis
Culti pectoris indoles.
Quam tu continuis redde laboribus,
Vernantem magis, ac magis;
Vt digniſsima ſis Laurus Apollinis.

VII. V. D. LAVRENTIO IOSEPHO GŁODKOWSKI.

VIVACISSIMÆ CEDRI ARBORIS FRVCTVS. Cum Lemm:
Vt perennet.

VIrtutis pretium, decusq́ ſacrum
AEtatis ſenio perire neſcit,
Immortale nihil, nihil perenne

Hanc

Hanc præter; quoties togata iungit
Laudis munera, Palladisq; docta
Maturam sapit eruditionem.
Hæc dilecta tibi, diuq; culta
Constanti studio, perennitatis
Donum promeruit Cedris amicum.
Et curas quoniam seueriores
GŁODKOWI *sequeris, placetq; quidquid*
Arcanis peripatus in sophorum
Conclusit latebris; amorq; veri:
Viuax inde Cedrus, tibi perennes
Fructus exhibet, arguitq; noctes
Stoæ peruigiles laboriosæ.
Immortalis ob id Cedrisq; digna,
Aßurgat tibi per sophûm cathedras,
Magnis gloria comparata curis;
Virtutis decus vt tuæ perennet.

V. D. ANDREAS MOSKIEWIC,
Eiusdem Laureæ Candidatus, in vim fraterni nexûs.

V. D. DOMINICO CYRVS,
Arborem Persicam offert. Cum Lemm:
In dies fertilior olim.

LAurigeris dum nos Musarum fructibus auges,
Ne desint donis, munera digna tuis;
Persica cum fructu sibi te pulcherrima poscit
Arbor: pomiferis condecorata bonis;

Inque

Inque dies est illa nouo celeberrima pomo;
Dulcibus, & gratis fructibus illa nitet:
Quos commendat odor, quos gratia pulchra venustat;
Hinc te cum Lauru, Persica dona decent.
Postulat hoc in te laudanda fragrantia morum,
Quam redolet virtus, CYRVS amande tua,
Craciadum magnumq; decus, columenq; iubarque,
Ducens à magnis, nobile nomen Auis.
Dotibus ingenij decorasti sanguinis ortum,
Flora cui Suadæ, mellea dona dedit.
Cuî Nymphæ placido versus modulantur in ore,
Ornat quem doctis, Laurus amica Viris.
Ergo cùm magnum virtutis pandis odorem,
Debentur meritis, Persica mala tuis.
Frondeat hæc Arbor, sapidis te fructibus implens,
Virtutisque tuæ, dulce coronet opus.
Viue, vireq; simul, studij fructumque capesse;
Hoc meus exoptat, candor, amorque Tibi.

Sub felicissimis auspicijs,

Magnifici, Perillustris, & Admodum Reuerendi

DOMINI,

M. ALBERTI LANCVCKI,

I. V. Doctoris & Professoris,

Archidiaconi Pilecensis, Cancellarij SS. Omnium, S. Michaëlis in Arce Crac: Canonici, Vniuersitatis Cracouien: studij, Generalis

RECTORIS.